

singula inter se similia vel dissimilia sunt, non tamen cognoscit, sicut nos, naturam rerum per genus et differentiam specificam.

Obi. 1. Si ultima ratio possibilium esset in divina essentia, haberent esse divinum, dist.: si formaliter et terminative inessent in divina essentia — conc.; cum sit ratio fundamentalis — nego.

2. Atqui formaliter et terminative deberent inesse; nam intellectus divinus supponit, non facit suum obiectum, dist.: obiectum primum (essentiam divinam) — conc.; secundarium (possibilia et res creatas), subd.: fundamentaliter et quoad rationem intrinsecam — conc.; formaliter quoad existentiam idealem, extrinsecam — nego.

Simili modo et nos res quidem cognoscimus, sicut in se sunt, sed non eo modo, quo in se sunt. Conceptus enim universalis, quia talis, formaliter constituitur per operationem mentis. Ita divinus intellectus cognoscit quidem divinam essentiam eiusque imitabilitatem, sicut est in se infinita, sed ad extra non est imitabilis nisi *finito* modo; qui modi finiti non existunt formaliter in divina essentia, sed constituuntur formaliter in ordine ideali per divinum intellectum. Quemadmodum nos rem physice vel etiam metaphysice unam e.g. humanitatem = animalitatem et rationalitatem per operationem mentis distinguere possumus et quidem in rationes obiective formaliter diversas, ita divinus intellectus distinguit modos finitos infinite multos formaliter inter se diversos, quibus eadem simplicissima divina essentia ad extra est imitabilis.

3. Atqui si possibilia essent imitationes divinae essentiae ab aeterno possibles, etiam ab aeterno creaturae existere possent; dist.: ab aeterno intrinsecus possibles sunt — conc.; *extrinsecus*, subd.: si creatio aeterna ex *alia* ratione non repugnat¹⁾ — conc.; alias — nego.

Neque enim idem est aeterna possibilitas et possibilitas aeternitatis, sicut neque simultanea possibilitas et possibilitas simultaneitatis. Ab aeterno filius iunior patre possibilis quidem erat, non autem re vera existere potuit; nam deberet simul esse aequae aeternus ac pater, quia aeternitas non admittit plus et minus; et simul deberet ex suppositione non esse aequae aeternus ac pater, quia iunior est.

4. Atqui tunc et res existentes eodem modo essent aeternae, quia sunt imitationes divinae essentiae et ab aeterno a Deo cognitae, dist.: in quantum erant et sunt possibles — conc.; in quantum sunt existentes, subd.: habent existentiam per divinam essentiam et intellectum, sicut possibilia suam possibilitatem — nego; per divinam voluntatem liberam et potentiam — conc.

5. Atqui si possibilia haberent suam possibilitatem ex essentia et intellectu divino, non possent cognosci sine illis, dist.: si nullam haberent in se realitatem metaphysicam, et intrinsecus per divinam essentiam vel intellectum constituerentur — conc.; cum habeant realitatem propriam metaphysicam et solum fundamentum in divina essentia, et existentiam extrinsecam in divino intellectu, subd.: adaequate et perfecte cognosci non possunt sine cognitione Dei — conc.; neque inadaequate et imperfecte — nego. — Unde res possi-

¹⁾ S. Thom. S. Theol. I, qu. 46 a. 3, qu. 7 a. 3 et 4. Contra Gent. lib. II, cap. 38.

biles cum divina essentia eiusque intellectu analogiâ attributionis intrinsecâ conveniunt.

6. Atqui ille nexus necessarius, aeternus inter possibilia et divinam essentiam hanc efficeret dependentem et imperfectam; dist.: si divina essentia indigeret possibilibus, ut sit in se perfecta — conc.; quum pullulent ex eius abundantia, ut signum infinitae perfectionis — nego.)

Caput III: De proprietatibus entis.

§ 1. De uno.

I. *Notio et natura*: 1. *Unum* definitur „ens indivisum in se“, quod igitur secum aliquo modo est identicum. Consequens est, ut ens in se unum eo ipso etiam ab aliis distinctum sit. Neque vero pertinet per se ad rationem unitatis, ut ens sit ab aliis distinctum, si quidem posset esse, ut nihil praeter ipsum esset, quin tamen per hoc amitteret suam unitatem. Unde sufficit ad rationem unitatis, ut ens sit in se indivisum.

2. Unitas nihil addit realitatis ad rationem entis, sed addit ad eius conceptum negationem divisionis.¹⁾ Ens enim fit unum per eius negationem, per quod fit plura. Atqui ens fit plura per divisionem. Ergo fit unum per negationem divisionis. (Primum enim quod percipimus est ratio entis. Quum vero cognitio nostra intellectualis incipiat a sensibus, sensuum autem obiectum sint res extensae, apprehendimus primum ens multiplex; negata vero multiplicitate, oritur conceptus entis *unius*, quem sequitur conceptus multitudinis.²⁾ Neque tamen per hoc notio unius est mere negativa, quia non negat ullam perfectionem, neque negat rationem entis ipsius, sed quodam modo negat negationem, i. e. divisionem entis, unde affirmat potius entis rationem. Quod conceptus entis positive exprimit, conceptus unius negative dicit, rationem entis aliis rationibus opponens ac proinde magis in se affirmans; unde patet, unitatem esse perfectionem simplicem.

3. Quum igitur unum nihil realitatis addat rationi entis eamque magis in se affirmet, aequae late patet ac notio entis, ac proinde est notio *transcendentalis*, sicut notio entis. Differt igitur notio unius transcendentalis a notione „unicus“, quia unicum est illud solum, quod non habet simile in eadem specie, e.g. Deus; omne unicum est quidem unum, sed non omne unum est unicum. *Parmenides* igitur Eleates, confundens unum et unicum, Pantheismum inde deduxit: Praeter ens nihil est; atqui omne ens est unum; ergo omnia

¹⁾ S. Thomas, S. Theol. I, qu. 11., a. 1. ²⁾ l. c. art. 2 ad 4.

sunt unum: $\pi\acute{\alpha}\nu$ καὶ ἓν. Differt unum transcendentale etiam ab uno praedicamentali, quod est principium numeri, qui supponit res sub eadem specie vel genere contentas, ut possint numerari, et sensu stricto ad res quantitate affectas applicatur (mathematica). Unum autem transcendentale sicut ens solum analogice singulis rebus competit. Quod non advertens *Herbart*, confundens unum transcendentale cum uno praedicamentali et quidem sensu strictissimo, nihil existere putavit, nisi entia prorsus simplicia, quae omnem multiplici- tatem tum ratione quantitatis tum ratione qualitatis a se excluderent. *Pythagoraei* autem, confundentes unum transcendentale cum uno praedicamentali, essentias rerum numeris constitui putabant.)

II. *Divisio*: Unum dividitur ratione ordinis in unum reale et unum rationis.

1. *Unum reale* est illud, quod ante mentis operationem in se non est distinctum. *Unum rationis* est illud, quod per mentis operationem (abstractionem) est unum. *Unum reale* ratione perfectionis iterum distinguitur in unum *per se* et unum *per accidens*.

a) *Unum per se* est illud, cuius partes naturā ipsā, i. e. intrinsecus sunt coniunctae, ita ut se invicem perficiant; e. g. corpus et anima; *unum per accidens* est illud, cuius partes non naturā, sed extrinsecus sunt coniunctae, ita ut per coniunctionem eadem in se permaneant.

(Unum reale *per se* subdividitur: 1^o *Unum simplex*, quod partibus physicis non constat, e. g. Deus, anima; et unum *compositum*, quod partibus realibus constat, e. g. homo ex corpore et anima constans.

2^o *Unum substantiale*, cuius partes sunt substantiae incompletae; quae si rei essentiam constituunt, vocatur unum *essentiale*, ut corpus et anima in homine; si autem rei integritatem constituunt, unum vocatur *integrale*, ut membra corpus constituentia; si rei perfectio accidentalis consideratur, habetur unum *accidentale*.

3^o *Unum formale* sive *essentiale*, quod rei partes essentielles sive physicas sive metaphysicas continet, quibus aliis rebus similis est; unum *individuale*, quod rem constituit singularem cum omnibus suis perfectionibus tum essentialibus tum accidentalibus, quibus aliis rebus dissimilis est.)

b) *Unum per accidens* subdividitur in unum *artificiale*, cuius partes arte humana coniunguntur, e. g. horologium; unum *morale*, cuius partes sive membra eodem fine, iisdem legibus vel iuribus continentur, e. g. societas, exercitus, familia; unum *aggregatum*, cuius partes solo loco vel tempore coexistunt, e. g. acervus lapidum; horae diei.

2. *Unitas rationis (logica)* dividitur: a) in unitatem *specificam*, in qua mens individua sub uno conceptu specifico comprehendit; *genericam*, quando species ad eandem naturam genericam referuntur.

(b) Haec autem unitas logica est *perfecta* in speciebus et generibus, quia a differentiis perfecte abstrahi potest; est *imperfecta* in conceptibus *analogicis*, e. g. entis, quando a differentiis inferiorum, quae in ratione analogica conveniunt, perfecte abstrahi non potest.)

III. Conceptus *identitatis* intime cum conceptu unitatis cohaeret eique superaddit respectum ad comparisonem mentis. Identitas igitur in eo est, ut diversa ad unitatem reducantur; et hoc potest fieri duplici modo: *Conceptu diversa* possunt reduci ad unitatem realem, et sic habetur *identitas realis*; *re ipsa diversa* reducantur ad unitatem logicam seu comprehenduntur eodem conceptu, et sic habetur *identitas logica*.

(1. *Identitas realis* est: a) *physica*, si eadem realitas semper sibi permanet identica, e. g. spiritus, anima, lapis; *moralis*, si res in se quidem mutatur, sed in aestimatione hominum eadem permanet, e. g. societas aliqua; domus restaurata; corpora viventia quoad partes materiales continue mutata.

b) *Essentialis*, si rei essentia eadem permanet, e. g. homo per totam vitam; *accidentalis*, si res quoad accidentia eadem permanet vel eadem est. Haec identitas accidentalis, si invenitur in rebus ratione *quantitatis*, vocatur *aequalitas*; ratione *qualitatis* vocatur *similitudo*.¹⁾

2. *Identitas logica* est *numerica* inter rem existentem et eandem mere possibilem seu mente conceptam; *specificam*, si plura individua in eadem natura specifica; *genericam*, si in ratione eadem generica; *analogica* (imperfecta), si in ratione analogica conveniunt.

IV. *Distinctio* est defectus unitatis inter plura, unde patet, hunc conceptum cum conceptu tum unius, tum identitatis et multitudinis intime cohaerere. *Distinctio* igitur opponitur unitati, unde, sicut unitas, est vel *realis* vel *rationis*. Est *realis*, si partes in re sunt distinctae ante operationem mentis; est *rationis* seu logica, si partes in re non distinctae per operationem mentis distinguuntur.

1. *Distinctio realis* a) ratione *subiecti* potest esse: *substantialis*, si partes substantiales distinguuntur; *accidentalis*, si accidentia realia

¹⁾ Celebris est disputatio inter Leibnitium et Clarke, num possint esse res perfecte similes, quod Leibnitz, innixus ratione sufficiente, negavit, Clarke vero meliorem iure affirmavit, quia, fatente Leibnitio, nulla in hac re invenitur contradictio. Leibnitii, Opera phil., Berolini, 1840, p. 751 sq. Cfr. Librator, Ontolog., p. 287.

vel a substantia sua vel inter se distinguuntur; *modalis*, si modus realis sive substantialis sive accidentalis a re modificata distinguitur.

b) Ratione *perfectionis* est: *adaequata* vel *inadaequata*, prout partes distinctae in se prorsus differunt (corpus et anima), vel partim differunt, partim non, e. g. totum eiusque partes: homo et anima; *maior* vel *minor*, prout partes distinctae per se existere possunt vel non, e. g. anima et cogitatio; *positiva* vel *negativa*, prout distinctio est inter res existentes, vel non vel saltem non omnes existentes: homo existens et possibilis.

2. Distinctio *rationis* sive *logica* est: *formalis*, si nullum est fundamentum distinctionis in re; Tullius et Cicero; *virtualis*, si est fundamentum in re; et est *virtualis perfecta*, si fundamentum est perfectum (conceptus univoci); *imperfecta*, si fundamentum est imperfectum (conceptus analogici).

Coroll. I. Cum distinctio unitati opponatur, illud ens perfecte unum erit, quod ex se omnem excludit distinctionem tum physicam, tum logicam, saltem in re perfecte fundatam. Atqui eiusmodi ens non est, nisi ens quod est actus purus, cuius esse est eius operari, i. e. Deus. Ergo solus Deus perfecte unus est.

II. Distinctio „formalis ex natura rei“, quam Scotus excogitavit, videtur esse respuenda, nisi cum Villafranca¹⁾ eam cum virtuali perfecta confundas; deberet enim esse realis, ut sit ex natura rei, simulque non realis, ut sit formalis; neque est ratio sufficiens eam statuendi, quia sufficit distinctio vel realis vel rationis perfecta et imperfecta.

V. Ex distinctione plurium oritur *multitudo*, quae si per *unum mensuratur*, vocatur *numerus*.²⁾ Multitudo igitur differt a numero, quod hic *unitatem collectionis* superaddit multitudini. Numerus autem requirit: a) unitatem aliquam; b) distinctionem rerum collectarum; c) earum aliquam similitudinem; quae si est certa ratio entis, numerus est *concretus sive praedicamentalis* (benannte Zahl); si est sub ratione entis, est *abstractus sive transcendentalis* (unbenannte Zahl); d) collectionem factam. Numerus *fundamentaliter* est res numerata, *formaliter* est unitas collectionis mente facta, est igitur ens rationis cum fundamento in re. Mathematica considerat numerum formaliter sumptum; omnes numeri sunt specie diversi, determinati per ultimam unitatem relative ad praecedentes sumptam.

Unum non est proprie numerus, sed eius principium; 0 et ∞ sensu *absoluto* non sunt numeri, sed termini numerorum ex utraque parte, 0 et ∞ sensu *relativo* sunt numeri indefiniti: 0 = numerus minor (dx) quovis

¹⁾ Compend. philosophiae, II, 67. ²⁾ Hanc definitionem Wundt (System der Philos.², p. 246), ut etiam numeri fracti, irrationales et imaginarii comprehendantur, sic amplificat: „Zahl ist das qualitative und quantitative Verhältnis zweier Teile einer Mannigfaltigkeit zueinander“.

determinato, ∞ = numerus maior quovis determinato; 0 et ∞ sensu relativo in mathematica sunt adhibenda. (Cfr. infra de infinito).

Distinguitur numerus positivus et negativus (e. g. ± 1), totus et fractus (e. g. 1 et $\frac{1}{2}$), rationalis et irrationalis (e. g. 3 et $\pi = 3,1415 \dots$), realis et imaginarius (e. g. 4 et $\sqrt{-4}$). Quae species numerorum relationes inter numeros expriment: positivi et negativi relationem oppositae directionis in spatio vel tempore, toti et fracti relationem partium ad totum, rationales et irrationales relationem ad divisionem finitam vel infinitam, reales et imaginarii relationem ad realitatem vel impossibilitatem. Accedunt functiones mathematicae, quae relationem mutuae variabilitatis expriment e. g. $[y = a + x = f(x)]$, et possunt esse, quemadmodum numeri, functiones totae, fractae, transcendentes.¹⁾

VI. Distinctio *realis* neque est asserenda neque neganda, nisi probari potest. Signa autem distinctionis realis sunt:

1. Mutua separabilitas perfecta, e. g. corpus et anima;
2. Processus realis effectus ex causa, e. g. arbor et fructus;
3. Conceptuum intrinseca repugnantia, e. g. extensio et simplicitas.
4. Distinctio adaequata conceptuum cum separatione non mutua potest esse signum distinctionis realis.

Thesis XVIII: Omne ens est unum unitate tum formali, tum individuali.

St. qu. 1^o (Ens in hac thesi significat ens reale, quod existit vel existere potest, non ens mere logicum; similiter unitas, quae huic enti reali tribuitur,) intelligitur unitas realis et quidem per se, non solum per accidens; non autem perfecta unitas realis sive simplicitas omni enti tribuitur, sed unitas formalis et individualis.

2^o Unitas formalis est unitas essentiae, qua res constat et in specie certa constituitur; unitas autem individualis est illa, qua ens constituitur individuum, i. e. neque multiplicatur in pluribus, neque ita multiplicari potest, ut plura simul essent illud ipsum. (Individuum *ontologice* est unum *non multiplicabile*, *logice* est unum de pluribus *non praedicabile*. Neque vero communicabilitas individui vel tanquam natura in supposito, vel tanquam pars in toto, vel accidens in substantia excluditur.

3^o Thesis est contra *Pantheismum* omnis generis tum universalem, tum specialem.)

A. *Prob. in genere:* a) Conceptus „unum“ nil realitatis addit ad rationem entis, sed solum negationem divisionis. Atqui illa, quorum realitas una est, a parte rei identificantur. Ergo „ens et unum convertuntur“, neque ontologice, sed logice differunt. b) Quodsi ens per novam realitatem unum fieret, haec realitas aut esset in se unum

¹⁾ Cfr. Wundt, System d. Philos.², p. 240 sq.; Logik II², p. 131 sq.

aliquod, aut non; si primum, nulla est ratio, cur non ens quodcumque sit unum, siquidem etiam illa nova realitas est ens; sin alterum, in infinitum esset eundem, quod repugnat. Ergo . . .¹⁾

B. In specie: 1. *Quoad unitatem formalem ex conceptu essentiae*: Quidquid aliqua res in se ipsa est, est per suam essentiam, quae est in aliqua specie constituta et ab omnibus aliis differt. *Atqui* omnis res una est. Ergo etiam per suam essentiam una est ratione speciei.

2. *Quod unitatem individualement ex principio contradictionis*: Repugnat, quidquam simul esse et non esse. *Atqui* si res aliqua universalis a parte rei existeret, deberet simul esse et non esse; nam ex supposito deberet esse in pluribus: e. g. a, b, c essent idem. Iam vero illa plura non sunt inter se idem; alioquin non essent plura. Ergo natura aliqua universalis, i. e. in pluribus existens eadem numero deberet simul esse secum identica et non identica, ac proinde in se repugnat.

3. *Ex absurdis*: Si res non haberent unitatem essentialem vel individualement i. e. nisi essent ab invicem distinctae, omnes res vel quoad essentiam essent idem, ac proinde non essent species vel genera, neque esset nisi unum ens, cuius omnes res essent apparentiae individuales; vel non esset nisi unum individuum, unde nulla ne phaenomenalis quidem pluralitas esse posset. *Atqui* hoc est Pantheismus maxime absurdus, qui et rationi et factis repugnat. Ergo omne ens unum est unitate formali et individuali.

Coroll. 1. Res igitur individuae qua tales solum analogice in eundem conceptum conveniunt.

2. Cum unitas opponatur divisioni, patet eo maiorem esse et perfectiorem rerum unitatem tum essentialem, tum individualement, quo magis divisione et distinctione carent. Magna igitur est differentia, si res singulas comparamus: a) Minima enim unitas essentialis apparet in anorganicis, quae in partes adaequate distinctas eiusdem naturae dividi possunt, e. g. lapis, quin essentia ipsa pereat. Maior erit unitas essentialis in organicis, in quibus unitas oritur ex principio simplici, quae proinde in partes adaequatas dividi non possunt, quin essentia vel partis vel etiam totius corrumpatur. Maxima vero est in entibus spiritualibus, quae physice nullo modo dividi possunt et sunt immortalia.

b) Unitas individualis, licet quaedam omnibus rebus necessaria sit, tamen magis vel minus perfecta esse potest; unde in rebus materialibus, quae in partes indefinite multas eiusdem perfectionis dividi possunt et ex se indifferentes sunt ad motum vel quietem, quae proinde determinatione propria ad agendum carent, est unitas individualis minima; in rebus organicis: plantis, et magis adhuc in brutis est perfectior, quia illae res partim ab obiecto,

¹⁾ Cfr. S. Thom. I, qu. 11. a. 1.

partim ex principio intrinseco determinantur; in spiritibus vero, qui se ipsos libere determinant, licet modo imperfecto, multo maior est unitas individualis; invenitur tamen in eis quoque distinctio realis inter naturam et actum et a fortiori multiplex distinctio metaphysica.

c) Summa vero unitas invenitur in Deo, in quo est actus purissimus neque ulla physica aut metaphysica inter naturam et individuationem, inter essentiam, potentias vel actus distinctio.)

Thesis XIX: Quidquid existit vel existere potest, per suam ipsius realitatem individuum constitui videtur.

(*St. qu.* 1^o Vidimus omne ens esse individuum. Quaeritur, quomodo formaliter constituatur individuum, utrum per realitatem aliquam (modum substantialem) supperadditam ad unitatem essentiae, an per suam propriam realitatem. Distinguendum autem est individuum absolutum, i. e. per se consideratum sine relatione ad alia eiusdem speciei individua, et relativum, in quantum habet vel potest habere naturam perfecte similem aliis.

2^o Nonnulli scholastici, ut Fonseca, Sylv. Maurus, putant, individuum absolutum constitui per realitatem aliquam naturae supperadditam tanquam modum substantialem; Scotistae cum Duns Scoto individuationem in „haecceitate“ ponentes, saltem distinctionem suam „formalem ex natura rei“ adhibent; Durando tribuunt, formam substantialem esse principium individuationis absolutae, alii teste Suarezio hoc in existentia¹⁾ rerum ponunt; ita etiam Fénelon et Rosmini. — Alii e contra cum Nominalistis non solum distinctionem omnem realem inter naturam physicam eiusque individuationem, sed etiam metaphysicam, i. e. rationis negabant. — Tertia denique sententia intermedia, quam duce Suarezio plerique tenent, docet, non esse realem distinctionem inter naturam eiusque individuationem, sed metaphysicam, i. e. rationis cum fundamento perfecto in re.

3^o Notandum est, non agi de principio individuationis effectivo in causa producente, neque de manifestativo sive externo per septem notas individuantes, sed de principio intrinseco constitutivo. Neque quaestio est nisi de principio individuationis in rebus creatis, non in Deo, quem per suam naturam individuum constitui, ita ut ne metaphysica quidem distinctio adsit, omnes concedunt.)

I. *Non videtur esse realis distinctio inter naturam eiusque individuationem.*

Prob. 1. Ens reale per illud est unum, per quod est ens; nam unum et ens convertuntur. *Atqui* est ens per suam intrinsecam realitatem. Ergo²⁾ . . . Neve distinguas inter unitatem essentialem et individualement; nam agitur non de essentia abstracta, sed concreta.

¹⁾ Stöckl (Lehrb. der Philos. I, 440) hanc sententiam per errorem Suarezio tribuit, qui eam potius refutat. ²⁾ Cfr. etiam Leibnitium cum Suarezio sententiam: „De principio individui“, Opera philos. Berolini, 1840, p. 1 sq.

(*Prob. 2. Per exclusionem*: Natura individuanda aut est in se universalis, aut singularis; si primum, existeret aliquid universale a parte rei, quod repugnat; si est singularis, non indiget individuatione.

Simili modo: Principium individuans aut est in se aliquid universale aut singulare; si primum, non potest esse principium individuationis; si alterum, admittitur esse realitatem per se singularem. Ergo res non individuatur per realitatem naturae superadditam.¹⁾

Sed adversarii duplici modo possunt respondere: 1^o *Nego suppositum*: nam argumentum supponere videtur, naturam et principium individuationis tanquam realitates *adaequate* distinctas duplici actione et produci et simul iungi; in sententia autem Thomistarum natura eiusque individuatione potius intelligenda sunt ad modum materiae et formae, seu potentiae subiectivae eiusque actus, ita ut se invicem intrinsecus perficiant unamque naturam completam constituent simulque eadem actione fiant, si quidem forma ex et in potentia materiae educitur. Neque potest individuatione ullo modo esse sine natura et vice versa, sicut materia non potest esse sine forma, unde non est mutua separabilitas, neque quidquam universale a parte rei vel existit vel existere potest.

2^o *Nego disiunctionem* utriusque maioris et addo: aut neque universalis neque singularis, aut ex parte universalis et ex parte (altera) singularis. Sicut enim materia prima, e. g. in corpore humano, ex se neque est universalis neque singularis, sed indeterminata et determinanda per formam substantialem, sicut intellectus actu non intelligens ex hac parte est indeterminatus, tanquam potentia subiectiva autem est determinatus, ac proinde determinatus ex parte potentiae, non determinatus ex parte actus, sic etiam natura individuanda et principium individuans possunt considerari ut potentia et actus, qui se invicem intrinsecus complent et perficiunt: natura ratione speciei, principium individuationis ratione individui. Neque clarissimus Schiffini hanc difficultatem satis solvisse videtur (l. c. p. 317—319), praesertim cum statuatur realem differentiam inter essentiam et existentiam, quae quaestio simili argumento demonstratur.

2. *Ex ratione sufficiente*: Entia sine necessitate non sunt multiplicanda; unde nisi adsunt rationes prorsus convincentes, principium individuationis a natura realiter distinctum non est statuendum. *Atqui*, ut infra patebit, nullae sunt rationes convincentes pro reali distinctione; immo sunt rationes contrarium saltem aequae certo probantes, et est, omnibus fatentibus, distinctio difficilis intellectu. Ergo distinctio illa realis videtur respuenda.

II. *Est distinctio virtualis perfecta inter naturam eiusque individuationem.*

Distinctio virtualis perfecta adest, quando conceptus, quibus eadem res secundum diversas suas rationes metaphysicas repraesentatur,

¹⁾ Cfr. Frick, *Ontolog.* p. 91; Schiffini, *Princ. phil.* p. 316.

tatur, ita formaliter sunt diversi, ut unus alterum nullo modo includat, immo res conceptibus expressae etiam una sine altera in rerum natura esse possint. *Atqui* conceptus naturae, e. g. humanae, nullo modo includit individuationem certam, e. g. Petri; secus nullus homo esse vel concipi posset praeter Petrum; re vera autem praeter Petrum multae aliae individuationes naturae humanae inveniuntur. Ergo adest distinctio virtualis perfecta inter naturam et individuationem.)

Thesis XX: Fundamentum individuationis relativae est rerum contingentia; accedit in rebus materialibus tanquam principium secundarium materia signata.

(*St. qu. Thomistae* statuunt duce S. Thoma¹⁾, qui in hac quaestione Aristotelem sequitur, individua in solis rebus corporeis inveniri et constitui in specie per materiam signatam²⁾, i. e. certo modo extensam; in entibus spiritualibus non esse nisi species. Alii quidem putant, metaphysice impossibile esse, angelos in specie constitui; alii autem possibile esse concedunt; et ipse S. Thomas in Averroistas graviter invehitur, quia intellectum universalem statuunt: „Ruditer argumentantur“ etc.³⁾ — Alii vero plurimi duce Suarezio⁴⁾ censent, principium individuationis relativae esse rerum intrinsecam indifferentiam ad hanc vel illam individuationem propter earum finitatem. Quae quidem sententia omnium facillima saltem, et verisimillima esse videtur.)

Prob. 1. Ratio, cur entia finita se non excludant neque *extensive* (i. e. quoad species et genera) neque *intensive* (i. e. quoad gradum perfectionis in eadem specie), non est nisi eorum finitas; nam si res essent infinitae perfectionis, alias extra se perfectiones sive eiusdem sive alterius naturae excluderent, ne haberent fines. *Atqui* finita rerum perfectio oritur ex earum contingentia; nam quod ex se est, est infinitum. Ergo ratio, cur res in certis generibus et speciebus et gradibus finitis in eadem specie constituentur, est earum contingentia.

(2. Si quae res alia individua sibi similia excluderet in eadem specie, deberet in se habere omnes gradus perfectionis, qui in hac specie possibiles sunt. *Atqui* illi gradus sunt infiniti, quia divina essentia non solum extensive, sed etiam intensive infinitis modis imitabilis est; nulla autem res finita potest habere perfectionem infinitam in ullo ordine. Ergo nullum individuum alia sibi similia

¹⁾ Opusc. 30 De ente et essentia c. 2; opusc. 29 de principio individuationis. Cfr. Kleutgen, *Phil. d. Vorzeit*, n. 829 sq. ²⁾ Glossner, *Das Prinzip der Individuation*, 1887. Villafranca, comp. phil. II, 57 sq. ³⁾ Opusc. 16. ⁴⁾ *Metaph. disp.* 5 sect. 1.